in propoſitionibus ſimilibus. Sed quicquid ſit de hoc appa-
ret qḋ illa negatiua ſit falſa: quia ſignificat ſeipſam non eē ve-
ram: ⁊ per ꝯñs falſificat ſeipſam ſignificãdo ſe eſſe falſam ſicut
p3 ex tertia diſtinctione ſupra poſita nec valet illa rõ quã ma-
giſter ille ꝑdictus dat ſalua eius reuerẽtia. ſ. ꝙ talis ꝓpõ ſigni
ficans ſe eſſe falſam ſicut iſta hec eſt falſa demõſtrando ſeipaȝ
vel hec eſt vera demonſtrando ſuam contradictoriam equiua
let vni copulatiue ſeu exponitur per vnam copulatiuam cuius
vna ps eſt ipãmmet ⁊ alia pars eſt vna ꝓpoſitio ſignificans ip-
ſam nõ eſſe falſam: ſicut iſta hec eſt falſa demonſtando ſeipãm
exponitur ſic. hec eſt falſa ⁊ falſum eſt ꝙ hec eſt falſa. ⁊ ita pro-
portionaliter de aliĳs. ⁊ ꝓpter hoc eius ꝯtradictoria debet ſu-
mi ꝑponendo contradictoriã toti ꝓpoſitioni ⁊ debet negatio
ferri ſupra illos ambos ſenſus ꝑ quos exprimãt partes copula
tiue. et ſi cõtradictoria dȝ ſumi per diſiunctiuã de ꝑtibus cõ-
tradicentibus: ⁊ ideo illa nõ hec eſt equiualet huic diſiūctiue.
hec non eſt falſa vel nõ eſt falſum ꝙ hoc eſt falſa demonſtrat-

do per ly hec illãmet propoſitionẽ hec eſt falſa cui volum⁹ aſſi-
gnare contradictoriã modo illa diſiunctiua eſt vera pro ſcda
parte ⁊ ideo cõtradictoria eſt vera que equipollet illi diſiunctiȝ
ue ⁊ contradicit illi hec eſt falſa vnde ꝙ iſta reſponſio non va-
leat apparet primo: qꝛ vt iam dictum eſt quicqd ſit de ꝓpõnib⁹
ad placitum ſignificantibus tamẽ nõ videt̃ poſſibile ꝙ illa ꝓ-
poſitio mentalis poſſit habere tales ſenſus repugnantes. Se
cũdo nõ videtur qd talis ꝓpoſitio cathegorica debeat exponi
per copulatiuã cuius ipſa eſt pars aut ei conſimilis: quia ſi ſic
idem exponeretur per ſeipſum nec valeret dictum huius magi
ſtri predicti ꝙ quando in illa copulatiua exponente ponitur il
la ꝓpoſitio cõſimilis ꝓpoſitioni exponẽde ꝙ tunc ab ea reſcin-
ditur reflexio ſignificatiõis quã habebat ſupra ſe ꝓpoſitio ex-
ponẽda ꝙ hoc nõ valeat. patet manifeſte. Primo qꝛ cũ loqua-
mur de ꝓpoſitiõe mentali naturaliter ſignificante nõ eſt in po-
teſtate noſtra auferre ſuam reflexionẽ ab ea ſeu ſignificationẽ
reflexã. Scdo qꝛ ſi ab ea auferretur huius reflexio. tunc patet
intuenti ꝙ illa amplius non ſignificaret ſe eſſe falſam. ⁊ ꝑ cõſe-
quens copulatiua cuius ipſa eẽt pars nõ exponeret ꝓpoſitio-
nem ſignificantẽ ſe eẽ falſam. vt patet euidenter ſȝ nõ curo hic
inſiſtere. quia hoc reputo manifeſtũ cuilibet aduertẽti. ſic ergo
ex dictis apparet cõcluſio ſatis eſſe probata. Ex predicta con-
cluſione inferuntur quattuor correlaria. Primum eſt iſtud pri
mo ſequitur ꝙ impoſſibile eſt intellectui primo formare ꝓpoſi
tionem vniuerſalẽ mentalem proprie dictã ſignificantem oẽm
ꝓpoſitionẽ mentalem eẽ falſam ſicut iſtam mentalem. omnis
propoſitio eſt falſa. vel iſtam. omnis ꝓpoſitio mentalis eſt fal-
ſa: ⁊ hoc intelligendo ſubiectũ ſupponere ꝓ ſeipſa: hoc patet qꝛ
ſi illa ſignificaret ſeipſam eẽ falſam ꝙ eſt contra cõcluſionem
et ſi intellectus formaret aliquã ꝓpoſitionem ſubiectuȝ ipſius
ſupponit non pro ipſamet: ſed pro qualibet alia ab ipſa. ⁊ ideo
talis eſt impoſſibilis ⁊ in caſu eſſet vera ſicut patet de ſe et am-
plius patebit inferius. Scdm correlariuȝ ꝙ impoſſibile eſt in-
tellectui ſignificare ꝓpoſitionẽ mentalem proprie dictam ſigni
ficantem aliquã aliam eẽ falſam que ſignificat eandem eſſe
falſam ſicut iſtã mẽtalem hec eſt falſa. demõſtrãdo iſtã. hec eſt

falſa. que demōſtrat primam patet ex dictis. quia talis ſignifi-
caret ſeipſam eſſe falſam. Nam cum iſte due totaliter conſimi-
liter ſe habeant ad veritatem ⁊ falſitatem quelibet ipſarum ſi-
gnificando alteram ipſarum eē falſam. ſignificat etiā ſeipſam
eē falſam. Item ſicut vna cognitio non poteſt eē formalis pro-
pria ⁊ diſtincta cognitio ſuiipſius. ita non poteſt eē formaliter
cognitio alterius formalis que ſit diſtincta cognitio ſuiipſius
verbi gratia: ſicut conceptus hominis non eſt diſtincta cogni-
tio ſuiipſius. ſic non eſt diſtincta cognitio ſue cognitiōis ergo
ita erit in propoſito ꝙ ſicut propoſitio mentalis non poteſt ſi-
gnificare ſeipſam eē falſam. ſic nō poteſt ſignificare aliam eſſe
falſam. que alia ſignificat tandem eē falſam. quare ⁊c. Tertio
ſequitur ꝙ intellectus non poteſt formare propoſitionē men-
talem ꝓprie dictam que ſignificet ſuam contradictionē eē ve-
ram. ſicut iſtam mentalem. hec eſt vera. demonſtrando ſuam
contradictoriā. vel iſtam quodlibet iſtorum eſt verū de demō-
ſtrando ſuam contradictoriam et iſtam deus eſt. patet ex pre-
dictis. Et pari ratione poteſt dici impoſſibile eſt intellectū for-
mare aliquam talem propoſitionem mentalem ſignificantem
aliam eſſe verā. que ſignificat illam eē falſam vt talem hec eſt
vera demōſtrando per ly hec hanc propoſitionem. hec eſt vera
que demōſtraret primam. Quarto ſequitur ꝙ intellectus non
poteſt formare aliquam propoſitionem mentalem ꝓprie dictā
hypoteticam cuius vna pars ſignificat illam hypoteticam eſſe
falſam ſicut talem. deus eſt. ⁊ hec copulatiua eſt falſa demon-
ſtrando ipſammet copulatiuā vt patet ex precedentibus. Se-
cunda concluſio nulla ꝓpoſitio mentalis ꝓprie dicta poteſt ſi-
gnificare ſeipſum eſſe veram. patet per primam rationem pri-
me concluſionis. Secundo probatur: quia ſi talis poſſet ſigni-
ficare ſeipſam eſſe veram pari ratione aliqua poſſet ſignificare
ſeipſam eē falſam. Conſequens eſt contra primam concluſio-
nem. conſequentia eſt nota ex quinta concluſione. Poſſent ſi-
milia correlaria que poſita ſunt in prima concluſione poni de
propoſitione ſignificāte ſeipſam eſſe falſam hic poni de propo-
ſitione ſignificare ſe eſſe veram. Secundo patet quia ſicut nul-
la propoſitio mentalis proprie dicta poteſt ſignificare ſe eē fal-

ſam vel ſe eſſe veram vt dictum eſt . ſic nec aliqua talis poteſt
ſignificare ſe non eſſe veram. vel ſe non eſſe falſam. Tertia con
cluſio eſt. nulla propoſitio mentalis proprie dicta poteſt habe-
re reflexionem ſupra ſeipſam. patet ex dictis: quia ſicut talis ꝓ
poſitio non poteſt ſignificare ſe eſſe veram aut ſe non eſſe verã
ſic non poteſt ſignificare ſeipſam aliqualiter eſſe vel non eẽ pu
ta ſe eſſe particularem vel ſe nõ eſſe particulalem ⁊ ſic de aliȷ̈s.
quia non apparet maior ratio de vno quaꝫ de alio ſicut patet
intuenti. quare ⁊c. Hic tamen aduertendum eſt ꝙ illa que hic
dixi de ꝓpoſitione mentali intelligo ſemper de tali proprie di-
cta creata. quia de mentali proprie dicta increata que eſt de-
us non eſt dubiuꝫ quin ſicut deus eſt diſtincta cognitio forma
lis ſui ipſius ſic ipſa ſignificat ſeipſam eſſe veram quare habet
reflexionem ſupra ſe. Secundo aduertendum eſt ꝙ illa que di-
xi intelligo de ſignificatione formali. quia ſatis notum eſt qđ
quelibet mentalis proprie dicta poteſt obiectiue ſignificare ſe-
ipſam eſſe veram vel falſam particularem vel vniuerſaleꝫ. ⁊ ſic
de aliȷ̈s. quia põt eẽ obiectum alicuius formalis cognitiõis ſi-
gnificantis illo modo. ſed de tali ſignificatione cõmuniter nõ
intelligitur quando fit mentio de ſignificatione propoſitionis
mentalis nec hoc eſt ad propoſitum. Sed contra dicta oritur
dubitatio fortiſſima. Videtur enim ꝙ aliqua propoſitio men-
talis proprie dicta poſſit ſignificare ſeipſam eſſe falſaꝫ. quia cer
tum eſt quod poſſum formare iſtam aliqua propoſitio menta-
lis eſt falſa. Nam in caſu iſta eſt vera ponamus ergo ꝙ ipſa ma
neat in mente mea quelibet alia deſtructa vel qđ omnes ſint
vere vel deſtructe. tunc patet ꝙ falſificat ſeipſaꝫ quia ſignificat
aliquam propoſitionem mentalem eſſe falſam. ⁊ nulla eſt fal-
ſa preter ipſam. quare ⁊c. Secundo ſortes poteſt habere in mẽ
te ſua iſtam propoſitionem plato concipit falſum ⁊ nullam ali
am. Similiter ⁊ plato poteſt habere iſtam in mente ſua ſortes
concipit falſum et nullam aliam. ⁊ tunc patet qđ quelibet iſta
rum falſificat ſeipſam. qꝛ nõ ſunt ambe vere ⁊ qua ratiõe vna
eſſet vera ⁊ eadem ratione alia quare quelibet ſignificat ſe eẽ
falſam ⁊ multa ſimilia argumenta contra iſtam concluſionem
et ſua correlaria poſſent fieri que dimitto cauſa breuitatis.

¶ Pro ſolutione vero iſtorum ⁊ ſimilium omniū pono aliques concluſiones ſiue propõnes. Prima eſt ꝙ pars propoſitionis mentalis proprie dicte non poteſt ſupponere pro ipſammet ꝓpoſitiõe cuius eſt pars iſta propõ. ſatis ſequitur ex propõnibus ſupradictis. ſicut patet intuenti. ¶ Tamen ad hoc probo eam ſic et' capio iſtam propoſitionem mentalem omnis cognitio mea quā nō intelligo aliqua cognitione eſt in mēte mea iſta propoſitione formata in mente ſi dicas qđ ſubiectū ipſius ſupponat pro ipſa propoſitione. ergo per diffinitionē ſuppoſitionis ſubiectum eius verificatur de pronomine demonſtrante illam ꝓpoſitionem mediante copula talis propoſitionis ⁊ per cõſequēs iſta ſingularis ſi formetur erit vera ſcilicet. hec cognitio quā non intelligo aliqua cognitione demonſtrando illam propoſitionem. hoc autem nullo modo poteſt dici quia eo ipſo qđ ego demonſtro eam intelligo ipſam aliqua cognitione intellectione alia ab ea. puta per ipm̄ pronomen demonſtratiuū et per cõſequens illam vniuerſalem demonſtrando illa ſingularis includit contradictionem: quia ſequitur ꝙ ſubiectum illius ſingularis non ſupponit pro ſeipſa: et pari ratione põt dici de alijs quare ⁊c. Secundo capio iſtam mentalem. omnis propoſitio mentalis eſt vniuerſalis ſi dicas qđ predicatum ſupponit pro ſeipſa ergo per diffinitionem ſuppoſitionis huiuſmodi p̄dicatum verificatur de pronomine demõſtrāte illam ꝓpoſitionem mediante copula ipſius ⁊ per cõſequens hec ſingularis erit vera ſi formetur ſcȝ hec eſt vniuerſalis illa prima demõſtrata qđ eſt falſum. ergo patȝ ꝙ illud p̄dicatū nõ ſupponit pro illāmet ꝓpoſitione ⁊ per ꝯſequēs ita erit in alijs. Et ſi dicat ꝙ illud p̄dicatum ſignificat indifferenter quālibet vlem ꝓpoſitionē: ergo pari ratione qua ſupponit pro aliqua tali ſic etiā ſupponet ꝓ illa propoſitiõe cuius eſt pars cū ipſa eſt vlis. Rñ. negando cõſequentiā: quia q̄uis iſte terminus ens infinitū ſignificet indifferenter oīa entia tamē nõ ſupponit pro quolibet ente qđ eſt: ſed ſolum ſupponit pro deo. ⁊ ita põt dici in propoſito. Scđa concluſio. pars propoſitionis mētalis proprie dicte non poteſt ſupponere pro contradictoria illius ꝓpoſitionis cuius eſt pars: patȝ ex predicta ꝯcluſione. quia ad hoc ꝙ alique ꝓpõnes ꝯtradicāt

opoꝛtet ꝙ termini earū ſupponant pꝛo eodem.cum ergo terminus propoſitionis nō poſſit ſupponere pꝛo illa ꝓpoſitione cui⁹ eſt pars nec etiam terminus pꝛopoſitiōis que ſibi contradicit poterit ſupponere pꝛo eadem re quare ⁊c. Tertia concluſio.ps propoſitionis mentalis pꝛopꝛie dicte nō poteſt ſupponere reſpectu huius termini verū ꝑ pꝛopoſitione ſignificante illā pꝛopoſitionē cuius illa eſt pars eſſe falſa ſiue falſificantem ſeipſam mediate vel īmediate ſiue reſpectu hui⁹ termini falſum in pꝛopoſitione ſignificāte ipſam eſſe verā ſiue verificantē ſeipſam.pʒ ex dictis ⁊ etiā:qꝛ ex tali ſuppoſitiōe ſequit̄ contradictio ſicut oſtendi poſſet ex pꝛius dictis.Et ſicut dixi de ſuppoſitione huiuſmodi terminoꝝ verū ⁊ falſum.ita ꝓpoꝛtionaliter pōt dici reſpectu alioꝝ.quia non apparet maioꝛ ratio de iſtis ꝙ de alijs. Quarta ꝯcluſio.pars ꝓpoſitiōis ad placitū ſignificantis nō poteſt ſupponere pꝛo ꝓpoſitiōe mentali ꝓpꝛie dicta ſibi coꝛreſpōdente.patet ex ꝑdictis:quia ſubiectum ꝓpoſitiōis ad placitū ſignificantis ⁊ ſubiectū mentalis ꝓpꝛie dicte ſibi coꝛreſpōdentis ſupponūt pꝛo eodem vt clarum eſt.ideo ſi tale ſubiectū pꝛopoſitionis ad placitū ſignificātis ſupponat pꝛo mentali: etiam ſubiectuꝫ illius ſibi coꝛreſpondētis ſupponeret pꝛo ipſam ⁊ mētali quod eſt contra pꝛimā concluſionem.Et iſtis quattuoꝛ ꝓpoſitiōibus plura poſſent inferri coꝛrelaria que pꝛima facie videtur extranea:tamē diligēter aduertenti ꝑmiſſa apparebunt vera.Per pꝛemiſſa eñ patet reſponſio ad dubitationem:vnde dico ꝙ illa ꝓpoſitio aliqua ꝓpoſitio mentalis eſt falſa in caſu poſito eſt falſa.non quia ſignificat ſeipſam: ſed quia pꝛedicatū pꝛo nullo ſupponit: quia nō ſupponit pꝛo ipſāmet. vt dictū eſt. nec pꝛo aliqua alia.quia nulla eſt falſa ⁊ ꝓpoꝛtionaliter poteſt dici de alijs duabus.Ex pꝛedictis etiam patet ꝙ ſi iſta pꝛopoſitio mentalis et nulla alia foꝛmaretur: ſcꝫ omnis pꝛopoſitio mentalis eſt falſa ipſa eſſet falſa. quia eius pꝛedicatū pꝛo nullo ſupponit vt patet ex pꝛima pꝛopoſitione. Secundo ſequitur ꝙ hec oꝛatio vocalis hec pꝛopoſitio mentalis eſt vera nihil demonſtrando per ly hec niſi pꝛopoſitionem mentalem illi vocali coꝛreſpondenteꝫ non eſſet pꝛopoſitio patet quia nihil demōſtraretur per eam:qꝛ nullam haberet mentalē ſibi coꝛreſpōdentē

tem:ſicut p3 ex quarta ꝓpōe. Cōcluſio principalis et vltima
eſt iſta q quolibet modo reflexiōis ſupradicto propoſitio vo-
calis ſcripta aut mentalis īproprie dicta poteſt habere reflexi
onem ſupra ſe: patet ex diſtinctionibus ſupradictis. Et ratio di
uerſitatis q̄re talis propoſitio pōt habere reflexionem ſupra
ſe et propoſitio mentalis ꝓprie dicta eſt hec. q2 talis propoſi-
tio eſt ſignū ad placitū ſignificās et ſolū obiectiue ꝛ nō forma
liter repñtans vt patet ex dictis. et ideo poſſumus tale ſignu3
imponere ad ſignificandū quicq̄d volum9 dūmodo in ſic ſigni
ficando ſibi corrñdeat ſignū mentale naturaliter ſignificans
quod notāter additur ꝓpter ꝓpōnem īmediate poſitā et ſc d̄m
correlariū eius. nō ſic aūt eſt de ꝓpōne mentalis proprie dicta
q2 ipa eſt ſignū naturaliter repñts ꝛ formaliter ſignificās nec
eſt in poteſtate noſtra per tale ſignum ſignificare vt volumus
vt notum eſt quare ꝛc. Ex hac concluſione et predictis patet
q omnis ꝓpō inſolubilis eſt ꝓpoſitio vocalis ſcripta aut mē-
talis cōiter dicta: q2 nulla inſolubilis eſt propō mentalis ꝓprie
dicta vt patuit. Scdō ſequitur q ꝓpōnis vocalis ſcripte vel
mentalis cōmuniter dicte: pars poteſt ſupponere pro tota ꝓpō
ne cuius eſt pars. Patet ex predictis. et ideo apparet falſitas
opinionis cuiuſdam doctoris ſolennis ſalua tamē eius reue-
rentia q̄ ponit q nūq̄ ꝑtes ꝓpoſitionis poſſunt ſupponere pro
tota cuius ſunt partes. hoc enī in ꝓpōnibus ad placitu3 ſigni
ficantibus apparet manifeſte falſum: ſed etiam in mentalibus
improprie dictis pars poteſt ſignificare totum vt ſupra tactu3
eſt. Concedo tamen q in eis ꝑs poteſt ſupponere pro toto cu-
ius eſt pars: ſicut ponit iſte doctor. ho c tantum ipe non ꝓbat
nec diſtinguit q̄tum ad propoſitiones mere ad placitū ſignifi
cantes ꝛ alias q tamen oportet: vt dictum eſt. ideo non ſuffici
enter reſpondet ad inſolubilia ſicut patet. Si vero dicatur q ſi
cut predicatum eſt ſupra pars propoſitionis mentalis proprie
dicte non poteſt ſupponere pro tota ꝓpoſitione cuius eſt ꝑs.
Sic poteſt idem probari de propoſitione ad placitum ſignifi-
cante: q2 capio iſtam ꝓpoſitionem. vocalem. omnis propō vo
calis eſt vlis. Si dicas q predicatum ſupponit pro ipa. ergo ꝑ
diffinitionem ſuppoſitionis huiuſmodi predicatu3 verificatur

de ꝓnomīe demōſtrante illā ⁊ ꝑ conſequens iſta ſingularis
erit vera hec eſt vīlis.demonſtrando illammet. quare ꝛc. Ad
hoc reſpondeo cōcedendo antecedens ꝯñs et ꝯñam.et dico ꝙ
illa ſingularis eſt vera non quidem in voce:ſed in mente:ſicut
patet intuenti.nec opoꝛtet ad hoc ꝙ aliquis terminus voca-
lis ſupponat pꝛo aliqua re ꝙ talis terminus vocalis verificet̄
de pꝛonomine vocali demonſtrante illam rem quia daretur
inſtantia in multis ſed ſufficit ꝙ compoſita mentalis talis ter
mini verificetur de pꝛonomine mentali demonſtrante illam
rem pꝛo qua ſupponit.ſic autem eſt in pꝛopoſito .nō ſic autem
pōt dici de pꝛopoſitione pꝛopꝛie dicta:vt patet intuēti. q̄re ꝛc.
Sequitur.ergo ꝙ non eſt ſimile hic et ibi Si vero dicatur ite
rum ꝙ ergo in ſupꝛadictis videatur negare experientiā quia
cōmuniter videtur omnibus experiri ꝙ ſicut poſſent in voce
foꝛmari ꝓpoſitiones cuius vna pars ſupponat pꝛo ipſa tota
que ſignificat ſeipſam eſſe veram vel falam. ita videtur ꝙ poſ
ſunt in mente. Videtur enim ꝙ ſicut poſſumus foꝛmare ta
lem pꝛopoſitionem vocalem hec eſt vera demonſtrando ſeip-
ſam et ſignificando ſeipſam eſſe veram.ita poſſumus foꝛmare
talem pꝛopoſitionem mentalem. Ad hoc reſpondeo ꝙ ego
nō nego experientiam. Unde licet ita appareat illa tamē expe
rientia eſt falſa.Cauſa vero apparentie eſt multiplicitas fan-
taſtica hoc enim eſt magna ſimilitudo pꝛopoſitionum ad pla
citum ſignificantium ad pꝛopoſitiones mentales pꝛopꝛie di-
cta:q: enim in multis ſunt ſimiles.apparet enim ꝙ ſunt ſimi-
les quod ad hoc et hec eſt oꝛigo et radix difficultatis totiꝰ pꝛī-
cipalis ipſoꝛum inſolubilium.Cauſa vero defectus in eis eſt
diuerſitas quia non eſt ſimile in omnibus pꝛedictis pꝛopoſiti
onibus ſicut oſtenſum eſt per rationes efficaces.ideo aparen-
tis oppoſita eſt falſa nec eſt experientia.ſic enim apparet nobis
ꝙ habeamus experientiam de multis operationibus intelle-
ctus quam tamen non habemus ſicut apparet nobis ꝙ pꝛo-
poſitiones mentales omnino ſimiliter,componnntur ex pluri
bus partibus vt vocales eis coꝛreſpondentes quod eſt tamē
falum:vt dictū eſt ſuperius in pꝛimo capitulo.

POſtꝗ̃ inueſtigatum eſt quid nominis ꝓpoſitionis in
ſolubilis et oſtenſum cui propoſitioni dictuȝ quid no
minis poſſit competere. nunc ſpecialiter videndum ē
de talium propoſitionum veritate aut falſitate. et per
hoc apparebit qualiter ſit reſpondendum ad tales ꝓpõnes ꝗ̃
cõmuniter dicūtur inſolubilia. Circa aūt hoc primo p̄mittam
aliquas ꝓpoſitiones. ſecūdo ponā cõcluſiones. Q̃ntum ad pri
muȝ. Prima ſuppoſitio eſt hec. oīs ꝓpoſitio inſolubilis habet
aliquā ꝓpoſitionē mentalem ꝓprie dictam ſibi correſponden
tem. patet quia omīs talis eſt propoſitio ad placitum ſignifi
cans vt dictum eſt in capitulo precedenti. ſed omnis ꝓpoſitio
ad placitum ſignificāt habet mentalem ꝓprie dictam ſibi cor
reſpõdentem: vt pȝ: quia ex hoc dr̄ ꝓpoſitio: vt patet ex primo
capitulo. Secūda ſuppoſitio cuiuſlibet ꝓpoſitiõis inſolubilis
et alicuius propoſitionis mentalis ꝓprie dicte ſibi correſpon
dentis termini ſibi inuicem correſpõdentes ſignificant ideȝ ⁊
pro eodeȝ ſupponūt patet ꝙ ita eſt in omnibus alijs. verbigra
tia. huius propoſitionis vocalis homo eſt animal: et propoſiti
onis mentalis ſibi correſpondentis termini ſibi inuicem cor
reſpondentes ſcilicet ſubiectum illius vocalis homo eſt ani
mal: et ſubiectum mentalis ſibi correſpondentis ſignificant
idem: et pro eodem ſupponunt: ⁊ ita eſt de predicato. ergo ⁊ ſic
erit in oībus alijs: quia non eſt maior ratio de vna ꝗ̃ de alia ⁊
etiam aliquando propoſitiones inter ſe correſpondentes non
ſignificant idem ſi termini ſibi inuicem correſpondentes non
ſignificarent idem quare. ⁊c. Tertia ſuppoſitio qualitercunqȝ
per propoſitionem inſolubilem ſignificatur ad placitum tali
ter per aliquam propoſitionem mentalem vel aliquas menta
les ſignificatur naturaliter apparet: q2 ita eſt in omnibus pro
poſitionibus ad placitum ſignificantibus: immo generaliter
nullum ſignum poteſt aliquid ſignificare niſi mediante ſigno
ſignificante illud idem naturaliter. verbigratia circulus ta
berne non plus poteſt alicui ſignificare vinum niſi habenti
in mente conceptum naturaliter ſibi repreſentantem vinuȝ
ꝗ̃ aliquid aliud: vt patet aduertenti. quare etcetera. Quarta
ſuppoſitio quelibet ꝓpoſitio inſolubilis eſt falſa ex eo: quia

falſificat ſeipſam ſine ſignificat ſe eſſe falſam:vt pꝫ aduertan-
ti:et patet in omnibꝰ quare ⁊c. Ex quo ſequitur ꝙ quelibet ꝓ
poſitio ſignificans preciſe ſeipſam eē verā eſt vera:patet ex pre
dicta ſuppoſitione:pꝫ ex hoc etiam ꝙ nō apparet ratio maior
quare deberet dici falſa.verbigratia.iſta vocalis hec eſt vera
demonſtrando per ly hec ipſammet et propoſitio mentalis ſi-
bi correſpondens eſt vera:quia non apparet maior ratio qua-
re deberet eſſe falſa.igitur. ⁊c. Sed tamen aliquis diceret ꝙ
ambe ille eſſent falſe:certum eſt ꝙ oppoſitum nō poteſt oſten
di a priori ſed bene a poſteriori.ſed non curo:quia ſatis appa-
ret aduertenti. Iſtis ꝑmiſſis ponā aliquas concluſiones. Pri
ma eſt.cuilibet ꝓpōni inſolubili corrñdet aliq̄ mentalis vera
probaꝫ.qꝛ capio iſtā ꝓpōnem inſolubilē vocalem hec eſt vera
demonſtrando ſuā contradictoriam ꝑ ly hec. Tunc arg.iſti ꝓ
poſitioni corrñdet aliqua mentalis ꝓprie dicta ꝑ tertiā ſuppo
ſitionem et ꝑ ſcđam termini ipſius;et termini ſue mētalis ſibi
inuicem corrñdentes ſupponunt pro eodē.ergo illi vocali cor
reſpondet illa mentalis hec ē vera demōſtrādo illud idē qđ
demōſtratur ꝑ vocalē.ſ.cōtradictoriam ipiuſmet vocalis.ſed
conſtat ꝙ illa mentalis ē vera:qꝛ ipſa ſignificat preciſe illā vo-
calem cōtradictoriā prime eſſe verā et iſta ꝙ pꝫ ;quia illa pria
ſignificando ſuā contradictoriā eſſe verā: falſificat ſeipſam et
eſt falſa.ergo ſua cōtradictoria quā demonſtrat eſſe veram eſt
vera.quare ⁊c. Conſimiliter et ad hec clarius poſſet argui de
iſta vocali hec ē falſa demōſtrando ſeipſam vel de iſta ſortes
dicit falſum et ſortes dicat iſtam et nullā aliā et, generaliter
de q̄libet propōne inſolubili;vt pꝫ inductiue. Scđa concluſio
cuiuſ ꝓpōni inſolubili corrñdet aliq̄ mentalis proprie dicta
falſa. Probatur qꝛ per quartā ſuppōnem q̄libet talis eſt falſa:
ergo cuilibet tali corrñdet vna mentalis ꝓprie dicta falſa ꝯña
tenet per ſecundā cōcluſionem ſecundi capituli. Antecedens
notum eſt quare ⁊c. Secundo probatur illa eadem cōcluſio.de
clarando que ſit illa mentalis falſa que correſpōdet ꝓpoſitiōi
inſolubili. Unde arguo ſic.quelibet ꝓpoſitio īſolubilis ſigni-
ficat ſeipſam eſſe falſam:ergo ſignificat mentalem proprie di-
ctam ſibi corrñdentem eſſe falſam. Antecedens patet; quia

ꝓpoſitio vocalis ſignificat ꝓpoſitionē mentalē repreſentati ue ſicut circulꝰ exiſtēs ante tabernam repreſentat vinumvenale et mediante illa mentali ſignificat per ſubordinationem illud quod ſignificat illa mētalis vt patet per ariſtotelē in primo perhiarmenias dicenteꝫ.voces ſūt note earū paſſionū que ſūt in anima ꝯña tenet quia arguitur a diffinito ad diffinitionē ſicut pꝫ ex quarta cōcluſione ſcdi capituli.ideo illa ꝯña eſt bona ſicut illa eſt bona iſte terminus hō ſignificat hoiem.ergo ſignificat ſubſtantiā aiatam ſenſitiuā rationalem.Et ſic arguitꝰ ſic.Quelibet propoſitio inſolubilis ſignificat mentalē ꝓprie dictam ſibi correſpondentē eſſe falſam:ergo taliter ſignificat per aliquā mentalē proprie dictam ſicut patet per tertiam ſuppoſitionē ⁊ per cōſequēs cuilibet tali ꝓpōni inſolubili correſpōdet aliqua mentalis proprie dicta ſignificās aliquam mētalē proprie dictam ſibi correſpōdentē eſſe falſam:ſed hoc nō poteſt eſſe per vnicam ſeu ſimplicem propoſitionem mentalē proprie dictam ſicut pꝫ ex dictis in tertio capitulo:ergo cuilibet inſolubili vocali correſpondet aliqua mentalis ſignificans aliquā aliam mentalem correſpondentem eidem propoſitioni inſolubili eſſe falſam:verbigratia.iſti propoſitioni vocali hec eſt falſa demonſtrando ſeipſam correſpondet aliqua mentalis que eſt hec falſa demōſtrando eādē vocalē et illa mētalis eſt vera vt patet ex predicta cōcluſione.Sed iterū ſicut pꝫ ex deductione iā facta eidē ꝓpoſitioni inſolubili correſpōdet iſta mētalis hec eſt falſa demōſtrādo primā mentalē. Sed ꝯſtat ꝙ iſta ſecūda mentalis eſt falſa:q2 ſignificat primā mentalē eſſe falſā que tamē eſt vera vt deductū eſt.quare ⁊c. ¶Tertia cōcluſio cuilibet propōni inſolubili due propoſitiones mentales ꝓprie dicte quarū vna eſt vera ⁊ alia eſt alia falſa correſpōdenti incoīā cte.Iſta cōcluſio hꝫ duas partes.Prima eſt ꝙ cuilibet propoſitioni inſolubili due ꝓpoſitiones mētales ꝓprie dicte correſpōdent quarum vna eſt vera et alia falſa.Iſta pꝫ ex duabus concluſionibus precedentibus.verbigratia.iſta propoſitio ſortes dicit falſum poſito ꝙ ſortes dicat iſtam ⁊ nullam aliā habet duas mentales quarum termini:mere ſolum mētales ſupponunt pro eodem.ſ.iſtam mentalem ſortes dicit falſum que

E.

eſt vera et quam predicta vocalis. ſignificat ſignificatiõe dire
cta. Aliã vero habet que ſignificat illam primã eſſe falſaꝫ: ſcꝫ
iſtam hec eſt falſa demonſtrãdo primã ⁊ iſta eſt falſa: et hanc
ſignificat predicta vocalis ſignificatione indirecta ſeu reflexa:
et ſicut dico de propoſitione predicta inſolubili. ita poteſt dici
de qualibet alia inſolubili quãtũ ad hoc quod ponit concluſio
licet nõ omnino ſimile in omnibꝰ vt poſtea patebit: et ſic appa
ret prima pars concluſionis. ¶ Secũda autẽ pars huius cõ
cluſionis eſt cuilibet ꝓpoſitioni tali inſolubiliꝰ correſpõdẽt due
propoſitiones mẽtales incõiuncte iſta patet: quia ſi talis voca
lis ſignificaret eas coniuncte non appareret ratio quare plus
ſignificaret eas copulatiue ꝙ diſiunctiue ſeu alio mõ ypothe
tice. Et ſi aliquis velit dicere ꝙ eas ſignificat copulatiue illud
eſt gratis dictum ⁊ ſine ratione: immo apparet contra rationẽ
quia in nullis aliĳs ꝓpoſitionibus inuenimꝰ ꝙ alicui ꝓpoſitio
ni cathegorice correſpõdeat mentalis copulatiua ſeu quevis
alia ypothetica niſi rõne alicuiꝰ ſincathegoreumatis ſeu termi
ſincathegoreumatis includẽtis poſiti in tali cathegorica ſicut
in propoſitionibꝰ cathegoricis excluſiuis exceptiuis deſint ⁊
aliĳs conſimilibus: ſic autem non poteſt dici in propoſito. qua
re. ⁊c. Ex qua concluſione ſequitur aliqua correlaria. Primo
enĩ ſequitur ꝙ quelibet propoſitio inſolubilis ⁊ ſimiliter eius
contradictoria eſt propoſitio plures patet ex predictis: quia cui
libet ꝓpoſitio inſolubili corrñdẽt plures menteles incõiũcte
correſpondentes cõtradicentes mentalibus corrñdẽtibus pro
poſitioni inſolubili ſicut clarum eſt aduertenti: modo omnis
talis ꝓpoſitio cui ſic corrñdent plures mẽtales incõiuncte eſt
ꝓpoſitio plures ⁊ nõ eſt ꝓpoſitio vna ad modum ariſtotelis lo
quentis in libro elenchorũ in fallacia ſm plures interrogatio
nes vt vnam. Scđo ſequitur ꝙ alique ſint propoſitiones oĩno
ſimiles in voce de termĩs pro eiſdem ſupponentibus quarum
aliqua eſt ꝓpoſitio plures ⁊ nõ alia: pꝫ de iſta ſortes dicit falſũ
prolata a platone nõ eſt ꝓpoſitio plures ſed ſimpliciter vna ⁊
nõ inſolubilis vt pꝫ intuẽti. Et ſimiliter põt dici de ꝓpoſitioni
bus ſcriptis vel de mentalibꝰ ad placitũ ſignificãtibꝰ. Quarta cõ
cluſio quelibet propoſitio inſolubilis eſt ſimul vera ⁊ falſa: pro

batur: qꝛ cuilꝫ tali coꝛrñdēt due mētales vna vera ꝛ falſa: ꝙ ta
lis ē ſil' vera ꝛ falſa. Cōſequētia eſt nota ex pͥo coꝛrelario ſcđi
capituli. Añs ptꝫ ex imediate ꝯcluſiōe nec illud debet eſſe mi
rabile in ꝓpoſitōib⁹ ad placitū ſignificātibus que etiā ſūt ꝓpo
ſitiones plures: pꝫ intuenti. Ex iſta cōcluſione ſequuntur etiā
aliqua coꝛelaria. Pꝛimo eī ſequit̃ ꝙ cuiuſlibet propoſitiōis in
ſolubilis cōtradictoꝛia eſt ſimul vera et falſa pꝫ ex quarta con
cluſiōe ꝛ pꝛimo coꝛrelarie tertio cōcluſiōis. Scđo ſequit̃ ꝙ ali
que ſūt ꝓpoſitiōes oīno ſimiles in voce ꝛ de teris ꝓ codē ſuo
ponētibus quaꝝ vna eſt ſimpliciter falſa vel ſaltem nō ſimplr
vera et alia ſimpliciter eſt vera ptꝫ ex cōcluſione ꝛ ex dictis in
ſecūdo coꝛrelario tertie concluſionis. Tertio ſequitur ꝙ aliq̄
ꝓpoſitiones apparēt cōtradicere que tamē nō cōtradicūt vera
citer pꝫ. qꝛ ſi ſoꝛ. dicat iſtā ſoꝛtes dixit falſum ꝛ plato dicat iſtā
ſoꝛtes nō dicit falſū: iſte apparent contradicere: cum ambe ap
parent ſingulares de eiſdem terminis ꝛ pro eodem ſupponēti
bus et vna ſit affirmatiua ꝛ alia negatiua: et tñ iſte non contra
dicūt ꝙ pꝛima eſt impoſſibilis ꝛ ꝓpoſitio plures et eſt falſa vel
nō ſimpliciter vera. ſecūda vero eſt ſimpliciter falſa ꝛ nō ꝓpoſi
tio plures. Similiter idem pꝫ de iſtis duab⁹ hec eſt v͛a demō
ſtrādo ſuam contradictoꝛiam ꝛ hec non eſt vera demōſtrando
ſeipām. Apparent enim cōtradicere ꝓpter rationem pꝛius di
ctam et tamen in rei veritate non cōtradicunt: qꝛ mentalis coꝛ
reſpondens vni et mentalis coꝛreſpodens alteri non contradi
cunt. Nam pꝛime coꝛreſpondēt iſte due hec eſt vera demonſtrā
do contradictoꝛiam iſtius vocalis: et iſta hec eſt falſa demon
ſtrando pꝛedictam mentalē: ſecunde vero coꝛreſpōdēt iſti due
hec nō eſt vera demonſtrādo p̄dictam vocalē negatiuā et iſta
eſt falſa demōſtādo pꝛedictā mentalem. Quia v͛o iſte due mē
tales coꝛrñdeant pꝛedicte negatiue pꝫ qꝛ ip̄a eſt inſolubilis ꝛ ſi
gnificans ſeipſam eſſe falſam: vt patet ex tertia diſtinctione
tertij capituli: ergo pꝛedicte due mentales coꝛreſpondent ſibi
vt patet ex iam dictis p̄cedenti capitulo. Sed ꝙ iſte due men
tales non coꝛreſpodeāt alijs duabus mentalib⁹ coꝛreſpōden
tib⁹ pꝛie vocali claꝝ eſt cuilibet aduertenti ꝛ poſſet iſtud idem
declarari in pluribus alijs propoſitiobus inſolubilib⁹ ſed iſta

pro nunc ſufficiunt. Si vero petatur que ſunt contadictorie pre
dictarū ꝓpoſitionū inſolubilium cum nō ſint hec reſpōdet ꝙ gene
raliter nō pōt melius dari ꝯtradictorio q̄ ꝓponēdo negationē
toti ꝓpoſitioni ſeruatis iſtis q̄ttuor cōditionib⁹ quas dat ari
ſtoteles libro elenchorū: ſcʒ ad idem ſm idē ſimr et in eodē tpe:
⁊ iō dico ꝙ contradictoria iſtius ſortes dicit falſum eſſet iſta
nō ſortes dicit falſum et cōtradictoria iſti⁹ hec eſt vera eſt hec
nō hec eſt intelligendo negationē cadere ſuper iſtos ābos ſen-
ſus ſeu ambas iſtas mentales corrñdentes affirmatiuis propō
nib⁹ ſibi cōtradictoriis ⁊ ita eſt generaliter in quibuſcūq alijs
ſeruatis iſtis quattuor cōditionibus iam tactis. Si vero dicat
ꝙ in ꝓpoſitionibus ſingularibus nō refert ꝓponere negatio
nem vel ꝓpōnem ſubiecto ⁊ ꝑ ꝯñs videtur ꝙ iſte orōnes equi
ualeāt ſortes non dicit falſum ⁊ nō ſortes dicit falſuʒ. Rñdeo
ꝙ hoc eſt verū qñ vtrolibet propoſitio vna ⁊ nō plures vt bene
tangebatur in quarta rōne prīe cōcluſiōis ſcđi capituli. Sʒ ſic
nō eſt in ꝓpoſito. Si tamē aliq̄s tm̄ intelligeret ꝑ vnaʒ illaꝝ ne
gatiuaꝝ ſicut per aliā ⁊ referet negationē prime ſeu intellige-
ret eam negare ſicut dictū eſt tūc ꝯcederem ꝙ ille equiualerēt
Sed ſi tu diceres ꝙ alique due ꝓpoſitiones poſſent eſſe oīno
ſimiles in voce ⁊ de terminis pro eodē ſupponētib⁹ quaꝝ vna
cōtradictoria alicuius ꝓpōnis ⁊ alia nō eſſet ꝯtradictoria eiuſ-
dem et hoc pōt ſatis declarari. Sed ſatis pōt apparere ex ſecū
do correlario tertie cōcluſionis iſtius quarti capituli ⁊ ex ſcđo
quarte eiuſdē: ideo ſatis apet ꝙ non ſēper eſt bona ꝯña ab vna
ꝓpoſitione ad aliā ſibi ſimilē in voce ⁊ hoc eſt clarū ex dictis
quare: ⁊c. Quarto ſequit ꝙ nulla ꝓpoſitio inſolubilis vel ei⁹
contradictoria eſt ſimpliciter vera vel ſimpliciter falſa pʒ: q2 il
la ſola propoſitio debet dici ſimpl'r vera aut ſimpliciter falſa.
cui correſpōdet vna ſola mentalis vera vel falſa: ſic autē nō eſt
de propoſitione inſolubili vel eius contradictoria vt pʒ ex di
ctis: igit ⁊c. Sed ꝯtra illud correlariū ⁊ multa ſuperi⁹ dicta oc
currit fortis dubitatio de iſta ꝓpōe inſolubili oīs ꝓpō vocalis
eſt falſa. Nā poſito ꝙ iſta vocalis met ſit ⁊ iſta de⁹ eſt etiā: ſic
pʒ ꝙ iſta eſt inſolubilis ⁊ ꝑ ꝯñs ſibi correſpōdēt due mētales
ſcʒ oīs ꝓpō vocalis eſt falſa ꝙ ſigt ſigtio directa ⁊ hec eſt falſa

demonſtrando primā mentalē ⁊ iſtā ſignificat iſta mentalis ſi-
gnificatiōe reflexa. Ex quo ſequunt̄ tria. Primo ſequit̄ ꝙ iſta
propoſitio mentalis quā ſi ſignificat iſta inſolubilis ſignifica-
tione directa eſt falſa: ergo ſequit̄ ꝙ illa inſolubilis eſt ſimpli-
citer falſa: q: videt̄ ꝙ ꝓpoſitio vocalis ſignificās ſignificatiōe
directa eſt falſa ſimpliciter. Secūdo ſequitur ꝙ non cuiuſlibꝫ
ꝓpoſitiōis inſolubilis ꝓpoſitio mentalis ſibi correſpōdens ſi-
gnificatiōe directa eſt vera cuius oppoſitū dicebat̄ in declara-
tione prime cōcluſionis ⁊ ſimiliter per tertiā tertie cōcluſionis
huius capituli. Tertio ſequit̄ ꝙ non quelibet ꝓpoſitio inſolu
bilis eſt falſa ſm ſuā ſignificationē reflexā quod videt̄ incōue-
niens et apparet eſſe cōtradicta ex declaratiōe cōcluſionis hu
ius capituli: ⁊ tn̄ oēs iſte tres cōſequētie: patet q: iſta mentalis
om̄i ꝓpoſitio vocalis eſt falſa in caſu poſito eſt manifeſte falſa
vt patet intuenti ⁊ per ꝯn̄s iſta mētalis: ſcꝫ hec eſt falſa demō-
ſtrando primā mentalē eſt vera: quare ⁊c. Ad iſta reſpōdeo: ad
primā concedendo antecedēs ⁊ negādo conſequentiā q: ꝗuis
iſta inſolubilis videatur ſolū ſignificare ſignificatione directa
mentalē falſam tn̄ non ſignificat ſolū illam: ſed vnā aliā ſignifi
catione reflexa: ideo non ſequit̄ ꝙ ſit ſimpliciter falſa ſicut pa
tet ex probatiōe correlarij: ſed bene ſequit̄ ꝙ ſit falſa ſm quid:
ſiue ſm vnā ſignificationē: ⁊ ita debet intelligi quotienſcunqꝫ
dictum eſt ſuperius ꝓpoſitionē inſolubilē eſſe falſaꝫ. Ad ſecun
dum et tertiū ſimul reſpōdeo dicendo conſequentiā ⁊ ꝯſequen
tia eſſe vera: tamē dico ꝙ ꝓpoſitionū inſolubiliū quedaꝫ ſunt
falſe ex eo preciſe ꝙ ſignificāt ſe eſſe falſas vt iſte de quibꝰ exē-
plificatur in prima ⁊ ſecūda cōcluſionibus ⁊ ſimiliter in prima
parte tertie. Et de illis veruꝫ eſt qđ dicebat̄ q: iſte ſunt plures:
ideo loquebar ibi gnaliter. Alie ſunt ꝟo falſe nō ex eo ꝓciſe ꝙ ſi
gnificāt ſe eſſe falſas: vt eſt in ꝓpoſito iſta eñ oīs ꝓpoſitio eſt
falſa non eſt ꝓciſe falſam: q: ſignificat ſe eſſe falſam in caſu po
ſito: ſed q: ſignificat oēm ꝓpoſitionē vocalē eſſe falſam ⁊ tamē
proponitur ꝙ ita ſit de alijs eſt que ſit vera ⁊ de talibus inſolu-
bilibus veruꝫ eſt qđ ibi inferebatur vt patet intuenti. Et ſicut
dico de iſta: ita dici pōt de iſtis vocalibꝰ oīs ꝓpoſitio vocalis
eſt particularis ⁊ oīs ꝓpoſitio vocalis eſt negatiua que lꝫ ſigni

ſicent ſe eſſe falſas vt ſupra dictum eſt tñ non ex eo ꝑ ſe ſunt falſe ſicut ſatis p₃. Quinto ſequitur ꝙ nulla propoſitio inſolubilis eſt ſimpliciter impoſſibilis: p₃ clare ex ꝑdicto correlario. Et hoc eſt cõtra magiſtrũ ſupradictum qui ponit ꝙ oĩs propõ de per ſe ⁊ directe ſignificãs ſe eſſe falſam eſt impoſſibilis. vt iſta hec eſt falſa demonſtrãdo ſeipam vñ infert differẽtiã eſſe inter propõnem de per ſe ſignificante₃ ſe eſſe falſam ⁊ de ꝑ ſe ſignificãtẽ non eſſe verã. quia prima eſt impoſſibilis: ſcđa vero poſſibilis ſicut iſta hec nõ eſt vera demonſtrãdo ſeipam ſed ꝙ nulla iſtarum ſit ſimpliciter poſſibilis vel impoſſibilis ſatis p₃ ex dictis: ꝙ p̃ſa nõ ſit impoſſibilis etiã ſm quid ſatis clare p₃ q: nulla mẽtalis ei corrñdet: p₃ vt ex dictis: quere ⁊c. Sexto ⁊ vltimo ſequitur ꝙ ad nullam ꝓpõem inſolubilẽ vel ad eius cõtradictoriã eſt danda vnica rñſio ſc₃ ipa₃ ſimplr cõcedendo vel ipm ſimpliciter negãdo. P₃ ex ꝑdictis: q: ſm ariſtotelẽ. ii. elẽchoꝝ ad ꝓpoſitionẽ plures non eſt danda vnica rñſio: cũ ꝫ ꝗlibet ſit propõ plures ⁊ non ſimplr vera vel falſa ſimpliciter falſa. ideo ad talẽ d₃ reſpõderi ꝙ eſt vera ⁊ falſa ſm qđ ſicut de ſcuto albo ſm medietatẽ ⁊ nigro ſm aliã ꝯcedit ꝙ nec eſt ſimpliciter nigrũ nec ſimpliciter album. ſed eſt album ⁊ nigrũ ſm qđ: ⁊ iſte eſt modꝰ reſpondẽdi ad oĩa inſolubilia ꝗ₃ ſit incõſuetus tñ oſtendo ip₃ eſſe de intentione ariſtotilis. ii. elenchorum. vbi ſolui ipſe ariſtoteles paralogiſmos falſarum ex diffinitionẽ et ipſe ponit vnũ paralogiſmum ad probandum ꝙ aliqnis mẽtiendo dicat veru₃ ſeu dicendo falſum dicat verum capit enim ibi mentiri improprie pro dicendo falſum ⁊ eſt paralogiſmus. iſte dicat ego mentior nihil aliud niſi iſtam ego dico falſã ipe ſic dicendo mentitur: tñc ergo taliter eſt qualiter ipſe dicit: q: dicit ſe mentiri: ergo ſic dicendo dicit verũ ergo dicit verũ. Illum paralogiſmũ ſoluit ariſtoteles negando vltimã ꝯñam rñdetur ergo ꝙ non ſequitur ſic dicẽdo dicit verũ ergo dicit verum q: arguitur a dicto ſm quid ad dictum ſimpliciter ⁊ ponit illũ paralogiſmum peccare penes fallaciã ſm quid ad ſimpliciter Ex quibus patet tria eſſe de intentione ariſtotelis. Primum eſt ꝙ illa ꝓpoſitio ſm quid eſt falſa q: ariſtoteles concedit ꝙ ſic dicendo mentitur. i. dicit falſum. ſecundum eſt ꝙ dicta pro

poſitio ſm quid eſt vera q: ariſtoteles concedit ꝙ ſic dicēdo dicit verū. Tertium eſt ꝙ predicta propoſitio nō eſt ſimpliciter vera: q: ariſtoteles negat illam ſimpliciter ſortes dicit verum: et ſic de intentione ariſtotelis eſt ꝙ illa propoſitio eſt vera et falſa ſm quid: ⁊ tamen non eſt ſimpliciter vera: ⁊ per cōſequēs nec ſua contradictoria ſimpliciter falſa. Aliter eñ ſolutio ariſtotelis eſſet ſimpliciter friuola et nullomodo ad propoſitum: ideo apparet ꝙ omnia predicta ſunt de intentione ariſtotelis quare ſequitur ꝙ licet predictis modus reſpondendū ad inſolubilia ſit extraneus et difficilis iuuenibus: tamē certus ſum ꝙ cunctis ingenioſis diligenter aduertentib⁹ apparebit probabilis. Et hec ſunt breuiter dicta de vocatis inſolubilibus.

¶ Et ſic eſt tractatuū finis inſolubilium magiſtri Petri de aiyaco et conceptuum. F I N I S